



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche
Haus-Angelegenheiten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

2. Der Markgraf Otto von Brandenburg und sein Bruder Graf Albrecht
übergeben der Kirche zu Magdeburg alle ihre Erbgüter in der Mark und in
den zur Mark gehörigen Grafschaften, so wie in den ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56597)

noldus de Hornberc, Heinricus Marfcalcus de Kalindin, Heinricus pin-
cerna de lutra et alii quam plures.

Signum domini Heinrici Sexti, Romanorum (L. M.)
Imperatoris, inuictissimi et regis Sicilie.

Ego Conradus Imperialis aule cancellarius, uice domini Conradi Moguntini
Archiepiscopi, totius Germanie Archicancellarii, Recognoui. Acta sunt hec Anno
domini M° C° XC° quinto, Indictionis XIV. Regnante domino Henrico Sexto
Romanorum Imperatore gloriosissimo et Rege Sicilie, Anno Regni eius uicesimo
VI° imperii uero Quinto. Datum Geilinhufin, Quinto Kal. Nouembris.

Original im Geh. Staats-Archive.

2. Der Markgraf Otto von Brandenburg und sein Bruder Graf Albrecht übergeben der Kirche
zu Magdeburg alle ihre Erbgüter in der Mark und in den zur Mark gehörigen Graffschaften,
so wie in den Graffschaften Dieterichs von Groitsch und Otto's von Falkenstein,
am 24., 25. und 28. November 1196.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis, Otto, diuina fauente clementia Se-
cundus Marchio de Brandenborch. Licet ad eorum omnium firmitatem, que in
nostra presentia rationabiliter statuuntur, quantum possumus intendere teneamur, ad id
tamen, ut facta propria firmamento stabili roboremus, potiori debito prouocamur. Ea
propter tam uniuersitati presentium quam et futuris in posterum declaramus et notum
facimus, quod nos et ingenuus Comes Albertus, frater noster, octauo Kal. Decembris
in Maiori Ecclesia Magdeburgensi constituti, ad reconciliandum nobis nostri clemen-
tiam redemptoris, pro animarum nostrarum et proprie salutis profectu, ut orationum que
ibidem iugiter sunt participes redderemur, predia nostra quecunque in ducatu trans-
albino seu Marchia nostra, et in Comitatus Theodorici illustris de Crowizh
et nobilis uiri Ottonis de Valkenstein Comitum, nec non et in omnibus Comi-
tatibus ad Marchiam nostram pertinentibus habuimus sita, tam infeudata quam libera,
glorioso martyri sancto Mauritio et Ecclesie Magdeburgensi in ius et proprietatem
cum omni plenitudine iuris tradidimus prediorum quam plurima uocabulis propriis ex-
primentes. Hec autem traditio primum per nos ex consensu et compromisso ac uolun-
tate predicti fratris nostri et postmodum per ipsum de nostro consensu et compromisso
super maius altare fuit legitime celebrata, et ibidem a uenerabilibus Friderico, tituli
sancti Marcelli presbytero Cardinali, apostolice sedis legato, et Luidolfo,
Magdeburgensi Archiepiscopo, ex utriusque nostrum petitione et desiderio per
distinctionem anathematis confirmata. Promissimus nihilominus, tam nos, quam et frater
noster, data fide, quod et iuramento corporaliter prestito confirmauimus, eandem tra-

ditionem ratam firmiter tenere, et in iurisdictione fori secularis secundum iuris ordinem stabilire, et de ipsis prediis Magdeburgensem ecclesiam bona fide sine fraudis ingenio ad iustitiam warandare. Presentes erant Rokerus maior prepositus, Henricus Decanus, Albertus camerarius, Sifridus de Amorde, Romarus Archidiaconus, Henricus Angarenis prepositus, Hermannus Scholasticus et plures ex Canonicis; Ex nobilibus uero Wolterus de Arneften, Fridericus de Hakeborne, Ludolfus Halbirftadensis Aduocatus, Egelolfus de Scrapelo, Theodericus et Wernerus de Amorde aliique tam nobiles quam liberi; Ex ministerialibus uero tam Ecclesie Magdeburgensis quam nostris, Iohannes de Plote, Righardus de Alsleue, Heydenricus et Conradus de Borch, Theodoricus de Parchein, Aluericus de Grabow, Wernherus de Gardeleghe, Hinricus Dapifer aliique quam plurimi. Sane die postera, uidelicet septimo kal. mensis prefati, tam Archiepiscopus quam nos et frater noster cum multis aliis in ducatu transalbino ad bancos fuimus constituti, ubi dux loci, uidelicet Archiepiscopo Magdeburgensis nobilem virum Wolterum de Arnstein sua auctoritate et ex sententia fecit iudicio presidere. In facie itaque iudicis eiusdem ad firmamentum traditionis prioris magdeborch facte, castrum Mokernic, Stieboy et quod habuimus tam in burgo quam in burgwardo Chereuist cum uniuersis predictorum omnium pertinentiis, nec non et omnia predia, que in ipso ducatu habuimus sita, tam uacantia quam et impheodata, nos primum et postmodum frater noster, uterque de alterius pleno et legitimo consensu ac compromisso, sepe dicte magdeburgensi Ecclesie et venerabili eius Archiepiscopo Ludolfo super reliquias sanctissimi martiris mauricii cum omni iure tam in uillis, quam et in agris, pascuis, pratis, siluis et aquis ac decursibus earundem, tradidimus prefatam de his Ecclesiam warentantes. Huius autem traditionis et bonorum memorate ecclesie pax fuit ex utriusque nostrum petitione et uoluntate firmata. Nos uero et frater noster possessionem et dominium prescriptorum bonorum ecclesie et Archiepiscopo prenotatis corporaliter per nos et per nuntios nostros sufficientes curauimus assignare in his omnibus secundum terre ritum et iuris ordinem predictante semper sententia incedentes. Huius rei testes sunt Woltherus de Arneften, Fredericus de Hakeburne, Ludolfus Aduocatus de Halberstat, Iohannes et Albertus de Suanebecke, Richardus de Alsleue, Iohannes de Plote, Conradus et Heidenricus de Borch, Theodoricus de Parchein, Gherbertus Aduocatus, Henricus Dapifer, Wazmodus de Hekelinghe, bedellus prouincie, aliique quam plures. Ceterum ut predicti negotii consummatio impleretur, Marchiam nostram intrauimus, in qua tam Archiepiscopo quam nobis et fratre nostro cum multis Marchie hominibus et aliis quarto Kal. septembris mensis iuxta Gardelege constitutis, fidei nostro Henrico, Comiti de Danenberch, cuius idem Comitatus erat, per sententiam auctoritatem dedimus uice nostra iudicio presidendi, in cuius conspectu predia nostre Gardeleghe et Saltwedele, tam castra quam opida, cum omnibus pertinentiis utrorumque, medietatem burgwardi Calue cum suis attinentiis, et predia, que habuimus in hiis Arneborch, Osterborch

et Tangermunde burgwardis; Item preposituram et ciuitatem Stendale cum hiis opidis Sehufen, Banbiffen, Wirbene cum omnibus pertinentiis singulorum; Item nouam ciuitatem Brandeborch et has terras Zuche et Zcholene cum uniuersis tenementis earum; Item Hunoldesborch, locum castris Hildagesborch, uillam Elueboy et quod habuimus Kallenuorde cum ipforum pertinentiis uniuersis; Hec inquam predia et uniuersa, quecunque habuimus in Marchia nostra uel in Comitatu nobilis uiri Ottonis Comitis de Falkensten nec non et in uniuersis Comitatibus ad prefatam Marchiam nostram pertinentibus sita ad instar collationis prescripte nos primum et postmodum frater noster ex mutui et legitimi consensus et compromissi plenitudine Magdeburgensi ecclesie et memorate ipsius Archiepiscopo super sanctissimi martiris Mauriti reliquias cum omni iure tam in castris quam et ciuitatibus, opidis, burgis, uillis et agris, pascuis, pratis, siluis et aquis et decursibus ipsarum in ius et proprietatem tradidimus, ecclesiam Magdeburgensem de his legitime uarentantes, ibique nostris precibus et consensu ipsi ecclesie pax fuit firmata. Nos quoque bonorum ipforum possessionem et dominium corporaliter et per nuntios nostros Archiepiscopo sufficienter curauimus assignare, hec et quecunque prediximus secundum ritum et ius Marchie, preeunte semper sententia, legitime prosequentes. Huius facti testes sunt Henricus Comes de Dannenberch, Egelolfus de Scrapelo, Fredericus de Osterwalde, Fredericus Aduocatus de Saltwedele, Fredericus de Hakeburne, Ludolfus Aduocatus de Halberstat, Theodericus et Wernerus de Amuorde, Arnoldus de Meydendorp, Ludolfus et Reynardus de Eylesleue, Ludolfus de Suanebeke, Sifridus de Pisekendorp, Iohannes de Plote, Richardus, Henricus et Gumpertus de Alesleue, Theodericus de Parchem, Rudolfus de Ierichoue, Wernherus de Gardeleghe, Henricus Dapifer, Gerardus et Bodo de Saltwedele, Otto de Hinnenberch et fratres eius alique nobiles, liberi ac ministeriales et homines Marchie quam plurimi. Ut autem prefate traditiones bonorum, que diximus, per nos et fratrem nostrum facte rate permaneant, nec in posterum maligna cuiusquam attemptione ualeant infirmari, presentem paginam super his conscribi et sigilli nostri impressione fecimus communiri. Acta in supra scriptis locis anno dominice incarnationis Millesimo Centesimo nonagesimo sexto, indictione quarta decima, presidente sedi apostolice Celestino Papa tertio, regnante gloriosissimo Romanorum imperatore semper Augusto et Rege Sicilie Hinrico sexto, in nomine Domini Amen.

Nach einer dem 14. Jahrhundert angehörigen Copie des Rathesarchives zu Stendal Nr. 1.